



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 59. Inquisitores necantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

rat. Diploma dabat 18 Nov. an. 1320. *Sæcul. XIV.*
 Recinetum sæpe in Summam Sedem in- *A. C. 1321.*
 surrexerat, jam ab Urbano IV episcopali
 cathedra privatum. *Rayn. 1320.*
n. 18.
Ughell. to. IV.

Sequente anno 1321 Papa Joannes *p. 128.*
 audiit, Recineti rebelles aliquos in tur- *Rayn. 1321.*
 pitudines & impuritates omnis generis *n. 38.*
 se projicere, superstitionibus usque ad
 cultum falsorum Numinum se tradere, ac
 in Ecclesiam Christumque ipsum impia
 verba evomere. Citavit eos Inquisitor:
 cumque haud comparuissent, contuma-
 ces pronuncians anathemate devinctos
 profano permisit foro: bona eorum Pa-
 pæ fisco addixit. Sed deridebant sen-
 tentiam: nec Recinetini tantum, verum
 etiam Auximani, Spoletini, & Montis Fe-
 retrani Comites protegebant receptos.
 Tandem inemendabiles videns Papa sa-
 crum in eos classicum cani voluit.

§. LIX.

Inquisitores necantur.

In Delphinatu hæretici occiderunt duos
 Inquisitores ex Ordine S. Francisci,
 nempe Fratres Catalanum Fabrium, ac
 Petrum Pascalem. Privati quidam hæ-
 reseos convicti, cum se redituros ad Ec-
 clesiam catholicam promisissent, ab In-
 M 5 quisi-

Vad. 1321.
n. 21.

Sæcul. XIV. A.C. 1321. quisitoribus cruces acceperant supra vestem suam ante ac pone gerendas: Scapularia plerique, Hispani *Sanbenitos* vocant. Alii, quod se fontes agnoscerent, metuebant, ne tanquam hæretici, aut hæresis fautores punirentur. Compererant autem Jacobum Bernardum ex eodem Ordine Inquisitorem per quatuor provincias Arelatensem, Aquisextanam, Viennensem, ac Ebreduninam a Summa Sede constitutum duobus Fratribus Fabio & Pascali demandasse munus indagandi fontes in arce Cabiola dioceseos Valentinae. Igitur hæretici collecto magno sibi adhærentium numero statuerunt proxima nocte adire castrum, & hujus portas sibi aperiendas curare, ut Fratres ac domesticos eorum perimerent.

Fabius quod in arce Cabiola suum Inquisitoris officium obire commode haud posset, cum socio suo ad castrum Monfilium transiit. Utebantur hospitio prioratus ad S. Jacobum, se ibi securos rati. At inimici validis instructi armis concubia nocte adveniunt: fores cubiculi dormientium asciae ictibus effringunt: ferociter intrant: Inquisitorum capita partesque alias letalibus plagis afficiunt; & plurimas addunt non jam cædi, sed furori explendo idoneas. Ita sonat epistola Papæ 30 Nov. 1321 Vivarii ac Valentiaë

lentiæ Præsulibus, & Inquisitori Jacobo Bernardo scripta; quem jubet inquirere hoc in facinus, nocentes affinesque sceleris ex præscripto canonum infectari, & hanc ad rem Optimatum ac Magistratum urbanorum operam exposcere. Fratres sic mactati habebantur in numero Martyrum: corpora Valentiae in cœnobio Minorum sepulta sunt. Dicebantur ibi facta esse multa miracula: quorum commentariis inspectis Papa Valentinum Episcopum illa perquirere voluit. Verum indagatio caruit effectum.

Sæcul. XIV.
A.C. 1321.

n. 25.

§. LX.

Matthæus Pro-Comes punitur.

Anno proximo Papa Joannes pergebat animadvertere in Matthæum Pro-Comitem, Gibellinorum in Lombardia Ducem. Habuerat patruum Ottonem Mediolani Archiepiscopum: qui ut nepotem ad dignitatem eveheret, an. 1287 eum ibi eligi curaverat in Magistratum. Anno 1293 Imperator Adolphus Nassovius eundem designavit Imperii Vicarium in Lombardia. Sed anno 1317 is hoc titulo haud contentus, Mediolani Dominus ac Princeps vocari voluit. Molestissime id ferens Papa per litteras Cardinali Bertrando Pojeto Legato suo inscriptas declaravit Matthæum ob contuma-

Corio. p. 342.
p. 356.

p. 420.

Rayn. 1320.
n. 12.